AD

ANNI SCHOLASTICI EXEUNTIS SOLEMNIA

IN

GYMNASIO AUGUSTANO

AUGUSTANAE CONFESSIONI ADDICTO

DIE VII. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXIX

RITE CELEBRANDA

PRAEMISSA DISSERTATIONE

DE HERCULE SAPIENTIS STOICI EXEMPLO

COLLEGARUM ET SUO NOMINE

OBSERVANTISSIME

INVITAT

GEORGIUS GASPARUS MEZGER,

GYMNAS. PROFESSOR.



AUGUSTAE VINDELICORUM

EX OFFICINA J. C. WIRTH.

1829.

De Hercule Sapientis Stoici exemplo.

Habuerunt Stoicae doctrinae alumni hoc cum Socrate, principe illo antiquitatis philosophorum, commune, ut virtutis moribus vitaque probandae acerrimi exstiterint vindices ac praeceptores. Namque cum ii philosophantium studia, nisi quibus aliqua cum vita nostra intercederet necessitas atque conjunctio, inania judicassent, in morum disciplina certioribus, quam ad illud tempus factum esset, limitibus circumscribenda novisque augmentis ac subsidiis exornanda praecipua eorum consumebatur opera studiumque. Quem quidem finem ut consequerentur, non solum ea philosophiae parte, quae ad mores pertinet, verum etiam duplici illa quaestione de disserendi ratione et de rerum natura efficere studuerunt. Etenim disserendi ratio, quippe quae quid veri aut falsi rebus insit pervestiget ac dijudicet et veras rerum informet animo notiones, ab erroris vanitatisque periculo nos immunes reddit, illae vero quaestiones naturales, cum in extremas rerum causas inquirant quaeque et Dei ipsius et mundi sit natura doceant, summam illam legem, qua omnia constricta tenentur, nobis proponunt. Sed alienum est ab instituto meo, Stoicae philosophiae indolem atque ingenium prolixius percensere; pauca tantum, quae ad morum disciplinam spectant, sunt monenda, ut, quae infra de Hercule Sapientis Stoici exemplo disputabuntur, melius possint intelligi.

Summa vero Stoïcorum cura in moribus fingendis eo dirigebatur, ut hominem in illud praestantiae dignitatisque fastigium eveherent, quo ab externarum rerum contactu tutus rationisque suae imperio omnia submittens, Dei

ipsius partes ageret ejusque majestatem et gravitatem quodammodo repraesentaret. Obliti igitur, quibus finibus animus noster a natura ipsa coerceretur, hanc homini obtruserunt necessitatem, ut, quod virium suarum mensuram longe excedit, id appeteret atque affectaret summopere. Cui quidem errori ideo obnoxii fuere, quod supra tempus assurgere nescii atque hac terrestri nostra conditione universa confici existimantes, in hac vita virtutem omnibus numeris absolutam acquiri posse sibi persuaserant. Quo magis autem humanae naturae viribus iisque solis summum illud bonum, quod virtute continetur, efficiendum esse jactabant, eo majori studio iis elaborandum erat, ut expressam quandam in homine excellentiae istius imaginem proponerent. Cum enim ea sit animi nostri hebetudo et tarditas, ut a cognitione earum rerum, quae oculis cerni nequeunt, quamquam eae pellucida oratione sint expositae, tamen haud raro abhorreat, Stoicis verendum erat, ne mera virtutis notio aequalium suorum captum effugeret. [a]) Hinc indefessa illa ac sollicita Sapientem Stoicum describendi industria, hinc insignis ille amor, quo Sapientis effigiem, magno ingenii impendio exornatam fovebant. Imprimis vero recentiores Stoae assectatores multi fuerunt in praedicando et laudando Sapiente, sexcenties in libris suis ad eundem redeuntes et ad ejus imitationem etiam atque etiam cohortantes.

At haud pauci ex philosophorum familiis subinde fuere, [b]) qui consummatae illius virtutis exemplum allatrarent et in ridiculum verterent. Egregia quidem, excelsa, praeclara praecipitis, ajebant, at quae nulli fidem adstringant humanam sortem juste expendenti. Ecquis usquam inter mortales ita extra erroris vitium positus fuit, ut decipi et labi non potuerit? Ubi terrarum quisquam humana origine oriundus apparuit, qni omnem humanum sensum ita exuerit, ut et ad doloris ictus et ad voluptatis illecebras pariter torperet? Quis unquam omnibus virtutibus ita instructus prodiit, ut cumulata in se uno haberet splendidissima quaeque bona eaque in omnem aetatem conditionemque secutura? Sapientem vestrum cum in summo illo perfectionis culmine collocetis, in quod si vel animo ac mente enitimur, vertigine abrepti huc illuc fluctuanus,

---

a) Seneca epist. 94. Imbecillioribus ingeniis opus est. aliquem praeire. Hoc vitabis, hoc facies. b) cf. Senec. ep. 116. et Plutarchum. περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν πρὸς τοὺς Στωϊκοὺς, imprimis p. 1063 et 1067,

vineta vestra, ipsi caeditis. Verba scilicet vestra altum quid sonant, at strumam dibapho tegunt.

Neque potest negari, ab his Stoici Sapientis obtrectatoribus Zenonis asseclas in summas angustias esse compulsos, ex quibus, operae pretium est cognoscere, quam anxie sese expedire studuerint.

Imbecillitatis humanae convicti ingenue modo, quamquam repugnante animo, confessi sunt, nusquam inventum esse Sapientem, quem ipsorum doctrinae severitas efflagitaret, [c]) modo audacius contenderunt, jam adfuisse tantae virtutis homines, at raro et magnis aetatum intervallis phoenicis instar, [d]) ut in magnis ubique usu veniret, eos progigni. Quid? quod interdum etiam controversiarum ardore incitati et praestricti tam altos sibi sumserunt spiritus, ut Sapientem Stoicum non solum Dei dignitatem aequiparare, verum etiam virtutes ejus exsuperare [e]) clamarent. [f]) Imprimis vero altercationes istae cum adversariis in causa fuere, cur praesignia quaedam virtutis exempla ex historia depromserint iisque decretis suis fidem adstruxerint. Ut enim quisque aut morum vitaeque sanctitate plurimum inclaruerat, aut strenuis factis de hominibus liberalissime promeritus erat, ita maxime in Stoicorum rem faciebat. His exemplis commonstraturi erant, non esse vana, quae de Sapiente gloriati sunt, sed summorum hominum naturae convenienter dicta atque re et vita confirmata. Unde factum est, ut Socratem, Diogenem. Antisthenem, Zenonem, Cleanthem, Regulum, Scipiones, Demetrium, Catonem, Cannum, Ulyssem et ipsum H e r c u l e m exempli loco proferrent et in Sapientum suorum numero collocarent.

Jam vero eo devenit oratio mea, ut propius absim ab ea re, quam paulo accuratius tractandam, quantum quidem per vires meas quatulascunque licet, mihi insumsi. Nempe de Hercule Sapientis Stoici exemplo dissertationem aliquam programmatis inscritpio promittit.

---

c) Senec. de tranq. animi VII. Ubi enim istum invenies, quem tot seculis quaerimus? Pro optimo est, minime malus. Adde Arriani Epictet. orat. II, 19.

d) Senec. ep. 42. Nam ille fortasse tanquam phoenix semel anno quingentissimo nascitur. e) Senec. ep. 53. Est aliquid, quo Sapiens Deum antecedat. Ille naturae beneficio non timet, suo sapiens. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei. f) Verisimile est, Stoicos adversariorum conviciis adductos esse, ut asperitatem doctrinae suae mitigaturi, per gradus quosdam ad summam illam virtutem appropinquari dicerent. cf. Sen. ep. 71. 72. 75.

At enim mihi non est in animo, peculiarem fabulae de Hercule apud antiquos contextae indolem naturamque conjiciendo eruere, neque anquirere, num recondita quaedam sapientia divinitus delapsa, sed ab hominibus, quid ea sibi vellet, nescientibus, pejus habita, sub pigmentis, quibus veterum ingenium illam ornavit, lateat, an priscum quoddam aevum, utpote praecepta sua narrationibus investiendi curiosum, hanc alteramve vivendi agendique doctrinam, invento isto atque diligentius tractato argumento, suorum animis penitus inculcare voluerit, an aliud ad historiae fidem exaratum fabula enarret. Res enim est, ut cum Martiali loquar, praetricosa quaeque haud scio an saepenumero misere vexet ac torqueat eos, qui ad hujuscemodi quaestiones solvendas sese accingant. Equidem certe, cum et viros exquisita utriusque antiquitatis scientia egregie instructos et felicissimo mentis acumine pollentes in varias discessisse partes videam, g) judicio meo ipse

g) Creuzeri, Viri Clar. Symbolik und Mythologie der alten Völker, tom. II. p. 203. seq. et Buttmanni dissertationem: Ueber den Mythos des Heracles, quae in ejusdem mythologo, tom. I. p. 246. legitur. Docte ibi, perspicue, subtiliter, eleganter Vir summus disserit de Herc. natura; at expuncta velim, quae sub finem orationis suae de Christ. doctrinae indole paulo iniquius adjecit. Dicit nimirum: Allerdings giebt es Theile der wahren Geschichte, deren prosaische Wahrheit auf diese Art allmählig — unmerklich vielleicht selbst denen, die sie fortpflanzten, — einer poetischen Wahrheit weichen musste, und nicht zum Nachtheile derer, zu welchen sie so verändert gelangten. Wem schweben hier nicht Gegenstände unserer heiligsten Verehrung vor. — Aber Poesie und Religion geben ihr Zufälliges, die Form, willig hin der wissenschaftlichen Forschung, und mit gleichem Ernste, von gleichem Wahrheitseifer beseelt, wird derselbe Mann als Kanzelredner heute eine biblische Geschichte in ihrer geschichtlichen Form einfach zu religiösen Zwecken vortragen, ohne dass auch nur die leiseste Anspielung an das, was jetzt in seiner Seele nicht ist, von seinen Lippen käme, und morgen vielleicht als historischer Förscher dasselbe Factum aus der Geschichte, die keinen Glauben kennt, ausstreichen. Hätte Der, dessen Fest wir heute feyern, nicht in einer Zeit gelebt, wo die christlichen Gottesgelehrten das Unwesentliche ihrer Religion gerade von der Seite, wo es haltbar weder ist, noch seyn soll, mit blindem Eifer verfochten. etc. Hunc locum apposui, ut Baconis Verulamensis exemplo palam facerem, nulla necessitate teneri eum, qui fabulas veteres cum Buttmanno poetarum inventis vindicet, idem quoque ut sentiat de sacris nostris. Baco vero, vir immortalis memoriae, commentat. suam de Prometheo in libell. de sapientia veterum p. 168. his verbis concludit. „Haec sunt illa, quae in fabula ista vulgari et decantata nobis adumbrari videntur, neque tamen inficiamur, illi subesse haud pauca, quae ad Christianae fidei mysteria miro consensu innuant; ante omnina autem navigatio Herculis in Urceo ad liberan-

diffidens excutiendo fabulae nostrae interno sensu facile supersedeo. Verum enim vero, id quod inter illos quoque convenit, qui de supremis causis, quibus fabula suspensa est, mirum quantum dissident, duae res legenti eam ultro offeruntur, animi in honestatis studio perseverantis quaedam laus, et roboris illibatis corporis viribus vegeti commendatio. Neque Graecos effugerat, hanc fabulae inesse vim atque significationem. Lepida illa ac venusta narratio de Hercule in triviis versante et, quam vitae viam ingrediatur, dubio, quam in Socratis memorabilibus legimus a Prodico profectam, huic explicandi rationi, ex mea quidem sententia, originem debet. Qua perlecta, quis est, quin sibi persuadeat, virtutis causam agi et Herculem animi in honestum connitentis partes sustinere. Apud tragicos vero, quin imo in Aristophanis ranis [h]) me alterius interpreta-

---

dum Prometheum imaginem Dei verbi in carne, tanquam fragili vasculo, ad redemptionem humani properantis prae se ferre videtur. Verum nos omnem in hoc genere licentiam nobis ipsi interdicimus, ne forte igne extraneo ad altare Domini utamur.

[h]) Mirum est omnino, quantum distet Herculis Stoici munditia ab illis sordibus, quibus poeta Herculem suum adspersit. Aristophan. in Ranis s. v. 506. et seq. haec habet.

ΘΕΡΑΠ ω φίλταθ' ἥκεις Ἡράκλεις; δεῦρ' εἴσιθι
ἡ γὰρ θεός σ' ὡς ἐπύθεθ' ἥκοντ', εὐθέως
ἔπεττεν ἄρτους· ἧψε κατερικτῶν χύτρας
ἔτνους δύ' ἢ τρεῖς· βοῦν ἀπηνθράκιζ' ὅλον
πλακοῦντας ὤπτα, κολλάβους· δεῦρ' εἴσιθι.

510. μὰ τὸν Ἀπόλλω, οὐ μέ σ' ἐγώ
περιόψομαι ἀπελθόντ'· ἐπεί τοι καὶ κρέα
ἀνέβραττεν ὀρνίθεια, καὶ τραγήματα
ἔφρυγε, κῷνον ἀνεκεράννυ γλυκύτατον.

519. καὶ γὰρ αὐλητρίς γέ σοι
μί' ἔνδον ἔσθ' ὡραιοτάτη, κὠρχηστρίδες
ἕτεραι δύ' ἢ τρεῖς —

518. ὀρχηστρίδες
ἡβυλλιῶσαι, κἄρτι παρατετιλμέναι.
ἀλλ' εἴσιθ', ὡς ὁ μάγειρος, ἤδη τὰ τεμάχη
ἤμελλ' ἀφαιρεῖν, χ' ἡ τράπεζ' εἰσῄρετο.

tionis, quae in laudandis corporis viribus acquiescit, vestigia deprehendisse puto. Etsi enim immanem ibi corporis nonnisi summa voracitate vigentis habitum a poeta comico obliquius perstringi lubenter cuivis largior, tamen has ipsas cavillationes ac nugas a vulgata Herculanearum virium existimatione petitas esse affirmaverim.

Sed Stoicis, quos omnem philosophiam ad mores revocasse diximus, ea fabulae Hercul. pars, qua vitae honeste actae praestantia censetur, prae ceteris arridere debuit. Ad subtilius aliquid ac sublimius sub Hercule innui ut omnino Graecorum non fuit perspicere, ita Stoicorum porticus asseclae vix potuerunt augurari. Namque, qui Stoicorum philosophandi rationem sub examen vocarit, confiteatur necesse est, illorum ingenii vim atque acumen argumentandi potius severitate illuxisse, quam causis, quibus omnia continentur, indagandis nexuique rerum mente percipiendo et notione formando idoneum exstitisse. Quo fit, ut sagacitatem eorum, qua singula dignoscunt congestaque rerum momenta digerunt atque dispescunt, mireris, at, quae in internam illarum naturam sese insinuet et verum ipsum involucris suis nudatum eliciat, frustra desideres animi facilitatem. His autem laudibus Stoici Alcidem efferunt. Arrian. Epictet. orat. lib. II. cap. 16. Ὁ Ἡρακλῆς εἰ τοῖς ἐν οἴκοι παρεκάθητο τίς ἂν ἦν; Εὐρισθεὺς καὶ οὐχὶ Ἡρακλῆς. Ἄγε πόσους δὲ περιερχόμενος τὴν οἰκουμένην συνήθεις ἔσχεν φίλους, ἀλλ' οὐδέν φίλτερον τοῦ θεοῦ· διὰ ταῦτα ἐπιστεύθη Διὸς εἶναι υἱός. καὶ ἦν, ἐκείνῳ τοίνυν πειθόμενος περιήει καθαίρων ἀδικίαν καὶ ἀνομίαν. Ἀλλ' οὐκ εἶ Ἡρακλῆς, καὶ οὐ δύνασαι καθαίρειν τὰ ἀλλότρια κακά. Arr. Epict. III, 22. ἀλλ' ὁ μὲν Ἡρακλῆς ὑπ' Εὐρυσθέως γυμναζόμενος οὐκ ἐνόμιζεν ἄθλιος εἶναι, ἀλλ' ἀόκνως ἐπετέλει πάντα τὰ πρασσόμενα, Arr. Epict. orat. III, 24. καὶ ἔτι πρόσθεν τῷ Ἡρακλεῖ περιελθεῖν τὴν οἰκουμένην ὅλην, ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντα, καὶ τὴν μὲν ἐκβάλλοντα καὶ καθαίροντα, τὴν δὲ ἀντεισάγοντα· καίτοι πόσους οἴει φίλους ἔχειν ἐν Θήβαις; πόσους ἐν Ἀθήναις; πόσους περιερχόμενος ἐκτήσατο; ὅς γε καὶ ἐγάμει ὅπου καιρὸς ἐφάνη αὐτῷ, καὶ

---

556. Πλαθάνη, Πλαθάνη, δεῦρ' ἔλθ', ὁ πανοῦργος οὑτοσί
ὃς εἰς τὸ πανδοκεῖον εἰσελθών ποτε,
ἑκκαίδεκ' ἄρτους κατέφαγεν ἡμῶν.

563. καὶ κρέα γε πρὸς τούτοισιν ἀνάβραστ' εἴκοσιν
ἀν' ἡμιωβολιαῖα,

Similia in Avibus 1690. et Acharn. 60. Pac. 841.

ἐπαιδοποιεῖτο, καὶ τοὺς παῖδας ἀπέλιπεν οὐ ποθῶν, οὐδ' ὡς ὀρφανοὺς ἀφιείς. Ἤιδει γὰρ, ὅτι οὐδείς ἐστι ἄνθρωπος ὀρφανὸς, ἀλλ' πάντων ἀεὶ καὶ διηνεκῶς ὁ πατήρ ἐστιν ὁ κηδόμενος. Οὐ γὰρ μέχρι λόγου ἠκηκόει, ὅτι πατήρ ἐστιν ὁ Ζεὺς τῶν ἀνθρώπων, ὅς γε καὶ αὐτὸς πατέρα ᾤετο αὐτὸν καὶ ἐκάλει· καὶ πρὸς ἐκεῖνον ἀφορῶν ἔπραττεν ἃ ἔπραττε. καὶ γάρ τοι πανταχοῦ ἐξῆν αὐτῷ διάγειν εὐδαιμόνως. Οὐδέποτε δ' ἐστὶν οἷον τ' εἰς τὸ αὐτὸ ἐλθεῖν εὐδαιμονίαν καὶ πόθον τῶν οὐ παρόντων. ibid. III, 26. Οὐ (θεὸς) παρέχει μοι πολλὰ, οὐκ ἄφθονα, τρυφᾶν με οὐ θέλει. Οὐδὲ γὰρ τῷ Ἡρακλεῖ παρεῖχε, τῷ υἱῷ τῷ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἄλλος ἐβασίλευσεν Ἄργους καὶ Μυκηνῶν, ὁδ' ἐπετάσσετο, καὶ ἐπόνει καὶ ἐγυμνάζετο. Ὁ δὲ Ἡρακλῆς γῆς καὶ θαλάττης ἄρχων καὶ ἡγεμὼν ἦν, καθαρτὴς ἀνομίας καὶ ἀδικίας, εἰσαγωγεὺς δὲ δικαιοσύνης καὶ ὁσιότητος, καὶ ταῦτα ἐποίει καὶ γυμνὸς καὶ μόνος. ibid. lib. IV, 10. Ἤ τίς ἂν ἦν ὁ Ἡρακλῆς, λέγων, πῶς μοι μὴ μέγας λέων ὑποφανῇ, μηδὲ μέγας σῦς, μηδὲ θηριώδεις ἄνθρωποι. Senec. de benefic. lib. I. c. 13. Corinthii per legatos Alexandro Macedoni gratulati sunt et civitate illum sua donaverunt. Cum risisset Alexander hoc officii genus, unus ex legatis, Nulli, inquit, civitatem unquam dedimus alii, quam tibi et Herculi. Et homo gloriae deditus, cujus nec naturam nec modum noverat, Herculis Liberique vestigia sequens, ad socium honoris sui respexit a dantibus: tanquam coelum, quod mente vanissima complectebatur, teneret, quia Herculi aequabatur. Quid enim illi simile habebat vaesanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum transiit non concupiscendo, sed vindicando. Quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum marisque pacator? At etc. Id. de benef. IV, 8. Hunc (Iovem) et Liberum patrem, et Herculem ac Mercurium nostri (Stoici) putant. Liberum patrem, quia omnium parens sit, quod ab eo primum inventa seminum vis est, consultura per voluptatem; Herculem, quia vis ejus invicta sit, quandoque lassata fuerit operibus editis, in ignem recessura. Id de tranq. animi 15. Ego Herculem fleam, quod vivus uritur, aut Catonem, aut Regulum? Omnes illi levi temporis impensa invenerunt, quomodo aeterni fierent: ad immortalitatem moriendo venerunt."

His quidem Stoicorum dictis, quibus, nisi arctioribus dissertatio nostra circumscripta esset finibus, alia quaedam idem probantia addere possemus, id, quod supra contendimus, evincitur, Herculis personam illis philosophis inserviisse ad imaginem Sapientis sui exemplo adumbrandam. Sed quamquam loci, quos ex Stoicorum libris exscripsimus, luculenter commonstrant, honestatis specie Herculem nostris esse commendatum, tamen quaeri potest, quae

ratio intercesserit inter herois istius virtutem et eam praestantiam, quam Stoici Sapienti suo attribuerunt, seu potuis, num expletum quoddam virtutis exemplum Stoicorum judicio Hercules exhibuerit, an accessio aliqua aliunde petenda ad efficiendum Sapientem fieri debuerit. Nihil enim in exemplis protrahendis facere tritum illud Stoicorum, qui unam virtutem habeat, ei ceteras necessario competere, vel ex Seneca constat. Cui rei antequam respondemus, aliam quaestionem amovere lubet. Juvat nimirum dijudicare, quibus ex rivulis duxerint Stoici insignem illam fabulae interpretationem, qua virtutis amor studiumque laudatur?

Conzius, Vir doctissimus, [i]) statuit, Prodicum sophistam primum, proposita sua narratione, [k]) de Hercule melius sentiendi auctorem fuisse ceterisque viam praeivisse, qua notio propriae ejusdem naturae consentanea concipi possit: inde enatas, quae passim apud Stoicos occurrant, Herculis laudes ac praeconia. At vero si concedimus, illam narrationem a Prodico esse excogitatam ejusque ingenio, ut eam Xenophon commemorat, ita amplificatam, inde tamen non sequitur, ut primus iste sophista praeceperit, quam in partem Herculis natura esset sumenda atque intelligenda: id potius solummodo concludere integrum est, fabulam nostram aptam fuisse, quae cuipiam virtutis in discrimen vocatae haesitationem ac sollicitudinem illustraturo congruens quoddam exemplum subministraret. Itaque tum demum ab animo meo impetrarem, ut adstipularetur Conzio, si nulla prorsus apud antiquos apparerent vestigia, quibus meliorem Herculis naturam illis innotuisse manifestum esset. Atqui quamquam nemo ibit inficias, in his antiquitatis priscae monumentis, quae in nostram aetatem manaverunt, honestatis studium idque unum, quo Hercules Prodici excelluisse putandus est, a loco illo Xenophonteo si discesseris, haudquaquam celebrari, plures tamen leguntur loci, quibus ad quasdam animi virtutes in Hercule conspicuas, quamvis tecte atque obiter, alluditur. Neque enim ea minima est fabulae nostrae commendatio, ut inspicientibus eam atque

---

i) cf. Conzii: Abhandlungen für die Geschichte und das Eigenthümliche der spätern stoischen Philosophie, Tüb. 1794. p. 30. „Wahrscheinlich gab der Sophist Prodikus durch seine bekannte Allegorie von Herkules auf dem Scheidewege, mit dem strengen Wesen, was in seinem Charakter selbst lag, und was der stoischen Philosophie ſo willkommen seyn muſste, die erste Veranlassung zu geläuterten Begriffen von ihm."

k) cf. Xenophont. memorab. II., 1.

tractantibus ansam praebeat altius aliquid sub externa specie divinandi. Deinde etiam hac fuisse Prodicum religione ac verecundia putaverim, ut, nisi ipsius narratio auctoritate quadam antiquitus tradita innixa esset, rei ex vulgi opinione sacrae novum sensum obtrudere dubitasset. Quid igitur? An Stoici ex aliis fontibus hauserunt, quae de Hercule tradidere? Res, ut mea fert opinio, ita se habet. Multae apud Graecos percrebuerant narratiunculae et sermonibus propagatae et litteris consignatae, quae universam herois nostri vitam inde ab incunabulis actam continua oratione prosequebantur. Praeterea vero exstabat carminum inter se junctorum et jam Ogygia aetate, ut ita dicam, effictorum series atque ordo, Ἡράκλεια dico, quibus id fuit peculiare, ut, quas Hercules subierat fortunae vicissitudines ejusque facta, maxima minima, diligentissime recenserent. Fieri autem non potuit, quin his narrationibus carminibusque animi quaedam bonitas praedicaretur, quid? quod adeo verisimile est, singulis quibusdam eorum partibus id fuisse propositum, ut, quanto studio Hercules ad optimum quidque adspirasset, id singulatim ostenderent. Ab largis hisce copiis antiqui scriptores, ut cujusque ratio postulabat, alimenta sua auxiliaque mutuati sunt, cum Herculis mentio facienda esset. Proindefacile adducor, ut et Stoicos ex his fontibus latices aliquos derivasse putem. Nulla enim ratio probabilis adferri potest, cur rumores illos ac poemata jam ea aetate, qua Stoicorum doctrina condita est, temporis injuria intercepta esse statuamus. Sed haud difficile esset, litem componere, si libelli, quos, Diogene Laertio teste [1]), Antisthenes, Cynicorum dux, conscripsit, ad nostra tempora pervenissent. Etenim ex altera parte nihil obstat, quominus Antisthenem, quippe qui aequalis fuerit Prodici, in explananda fabula proprio ingenio usum esse credamus, ex altera vero parte his commentationibus copia nobis fieret dignoscendi, quam vim rationemque et in his rebus exhibuerint Cynicorum greges in Stoicos, quos illorum vestigia pressisse in confesso est. Sed quamquam hac opportunitate nos interclusit temporis iniquitas, tamen memoratu dignum est, quod veteres de Antisthene scripserunt. Dicunt nimirum, hunc philosophum, qui acerbissimo odio in depravatos Atheniensium mores inveheretur, altero opus esse Hercule, qui huic serpenti caput praecideret,

---

[1]) cf. Diogenem Laert. V. p. p. 151. edit. Menagii. Libellus inscrib. Ἡρακλῆς ὁ μείζων, ἢ περὶ ἰσχύος, Ἡρακλῆς ἢ περὶ φρονήσεως ἢ ἰσχύος.

identidem clamasse. Quin se ipsum Herculis partes suscepisse ajebat, ideoque eodem, quo ille incessisse narratur, amictu Athenis circumibat, cuilibet, quod sibi obviam fieret, malo fortisstmi illius viri instar reluctaturus[m]). Qua narratione si nil aliud lucramur, id certe inde emergit, et Cynicis Herculis imaginem idoneam visam esse, qua suos ad bene agendum excitarent.

Jam redimus ad alteram quaestionem, quam supra nobis proposuimus solvendam. Quaeritur scilicet, num Hercules omnibus numeris expletum virtutis exemplum Stoicorum arbitratu praebuerit? Si quis Sapientis imaginem ad philosophiae decreta exigit eaque ut ad unguem respondeat praeceptis, quae ab illa in medium proferuntur, postulat, equidem haud scio an nullum eorum, quos supra exempli loco nominatos esse diximus, exceptis philosophis, a Stoicis in usum suum converti fas fuerit. Stoici enim, severi illi vitae censores, in quovis fere nonnulla invenerint necesse est reprehensione aliqua ac castigatione digna. Atque profecto in libris eorum scriptum legimus, uni alterive, quem alias tanquam splendidum virtutis exemplar suos sequi jubent, [n]) deteriorem notam esse inustam. Scientia autem plurimi destituti erant, sine qua perfectum bonum consistere nequit. At vero Stoici exemplis suis minime id consequi voluerunt, ut summam sapientiae suae amplitudinem atque gravitatem illius hominis, quem hic illic laudaverunt, vita contineri nobis persuaderetur, verum ut singulis placitis, si quae duriora nec vitae nostrae rationibus satis accommodata viderentur, fidem aliquam conciliarent eaque a vanitatis crimine vindicarent. Quoniam igitur, cum vel usus posceret, vel adversariis esset occurrendum, ad exempla confugere Stoici, non est, quod his totum sapientiae Stoicae ambitum circumscribi autumemus. Quod vero omnem virtutem scientia veluti solido fundamento esse superstruendam docuere, id justo magis non est urgendum. Ut enim nulla scientia, nisi quae ad recte agendum compellat atque instiget, prodesse Stoicis re vera videbatur, omnisque philosophia a morum vitaeque cultura sejuncta futilis et inanis sententiarum verborumque coacervatio habebatur, ita ipsis probari debuit, ubicunque comparebat, animi magnitudo rerum gestarum splendore ac gloria praecellens. Proinde cum magni viri praestantiam memoria recolerent, non instituta est anxia quaestio, num

---

m) Buhle Geschichte der Philosophie I. tom. p. 405. et, qui ibi citantur, antiq. script. locos.

n) cf. Senec. ep. XIV.

ille rite ingressus esset viam ad virtutem deducentem, sed jam suffecit, eum metam propositam attigisse. Quibus vere expensis, quid de Hercule Stoico sentiendum sit, facili conjectura assequimur. Huc accedit, quod fabula nostra Stoicis amplum ac late patentem campum aperuit, in quem cum animus exspatiabatur, uberrimam invenit explicandi, describendi, definiendi materiem. Enimvero tam varii ac multiplices sparsi erant de Hercule rumores tantaque rerum factorumque in hunc heroem collata erat copia, ut, dummodo juste rem aggrederentur, quodvis fere philosophiae decretum adaptato quodam exemplo ex hoc quasi penu sumto suffulcire possent Stoici.

Atque id ipsum, quod de viro inter Deos relato agebatur, maxime nostros philosophos adjuvit. Nam, ut supra monuimus, cum Deo Sapientem comparant, eumque in similitudinem illius assurgere et pari atque illum conditione frui dicunt. Quae enim Deo in mundo obvenit provincia, eandem Sapiens, sive felicitatem ejus spectas, qua se ipso contentus vivit, sive libertatis, qua omnia vincit, nulla re vincitur, rationem habes, sive munificentiam reminisceris, qua de humano genere optime meretur, nullius beneficio egens, secundum Stoicam disciplinam in hac terra sortitus est. Inde venit, quod Seneca dicit in epist. LIX. Sapiens cum Diis ex pari vivit; ep. LXV. Sapiens assectatorque sapientiae adhaeret quidem in corpore suo, sed optima sui parte abest. — Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus, quod est illi materia, id nobis corpus est; ep. LXXIII. Plura Jupiter habet, quae praestet hominibus, sed inter duos bonos non est melior, qui locupletior est. Jupiter quo antecedit virum bonum? Diutius bonus est. Sapiens nihil se minorem aestimat; ep. LXXXVII. Quaeris, quae res Sapientem facit? Quae Deum. Des oportet illi aliquid divinum, aliquid coeleste, magnificum. De const. Sap. c. VIII. Sapiens autem vicinus proximusque Diis constitit, excepta mortalitate, similis Deo. cf. etiam ibid XV. et de vita beata c. XXII. Epictetus dicit — καὶ ἔσῃ ποτὲ ἄξιος τῶν θεῶν· ἂν δὲ καὶ παρατεθέντων σοι μὴ λάβῃς, ἀλλ᾽ ὑπερίδῃς, τότε οὐ μόνον συμπότης τῶν θεῶν ἔσῃ, ἀλλὰ συνάρχων. Adde Arian. orat. Epict. II, 14. et Diogenis Laert. VII. p. 193. ed. Menag. M. Antonini lib. de se ipso III, 4.

Sed opinione illa de natura Deorum, quam Stoicos fovisse notum est, in consilium adhibita, in aliam quoque partem divina Herculis dignitas tractari potuit. Quidni enim, siquidem isti totum Deorum coetum a diversis supremi

numinis viribus per mundum diffusis nomen accepisse opinati sunt, [o]) et in Herculis fabula tale quid illos vidisse statuamus? Epicteti verba, quae in lib. orat. II, 16. et III, 24. leguntur, quaeque Senec. in libr. de benef. IV. 8. pronuntiat, faciunt, ut animi a divina origine profecti et per varia rerum discrimina in pristinum suum statum remeantis sortem ac fortunam edita fabula Herc. Stoicis describi existimem. Atque, fatendum enim est, quae de Hercule antiquitas commentata erat, in hanc explicationem apprime quadrant. En tibi causa affertur, cur Hercules Deo patre, matre homine procreatus tradatur. Nempe animus, coelesti sede relicta, cum terrena faece coalescit. Neque tamen ergastulo, quo nunc captus tenetur, vera ejus natura conteritur atque pessumdatur; nam perruptis ubique carceribus impedimentisque, quae per aliquod tempus restitere, prostratis, in libertatem sese asserit et incolumis in patriam suam redit. Quae dum animo revolvis, facile est ad intelligendum, cur fabula nobis suppeditet imaginem viri multis certaminibus districti gravissimorumque laborum mole aliquamdiu oppressi, at meliore sui parte sospitis atque adeo ad extremum victoris. Et ipsa ornamentorum supellex, qua foecundum Graecorum ingenium illam instruxit, mirum in modum rei velificatur. Id quidem, etsi Buttmanno facem praeferente, [p]) non ita molestum est, fusius pertractare, tamen diutius hic immorari non placet. Persuasum enim habeo, quam parum tribuendum sit meris conjecturis, neque me fugit, nimiam Stoicis, si vel tenerrimas fabulae nostrae juncturas eos odoratos esse ponamus, affingi subtilitatem. Iam mihi satis est, ostendisse, quomodo illi, cum certaminis necessitatem, cuique ad ardua adscendenti injunctam, docerent, e divina Herculis natura adminicula quaedam petere potuerint et reapse Epicteti et Senecae testimonio petierint.

Restat adhuc, ut propius ad propositum nostrum accedamus et locorum a nobis collectorum auctoritate freti consideremus, quae potissimum Herculis virtutes oculis Stoicorum obversatae fuerint. Ita enim facillimum est dijudi-

---

o) cf. Senec. de benef. IV, 7. Quaecunque voles nomina propria Deo aptabis vim aliquam effectumque coelestium continentia: tot appellationes ejus esse possunt, quot munera. Diog. Laert. VII. p. 199. εἶναι δὲ τὸν μὲν δημιουργὸν τῶν ὅλων, καὶ ὥσπερ πατέρα πάντων — ὃ πολλαῖς προσηγορίαις προσονομάζεται κατὰ τὰς δυνάμεις. Adde Cic. de Nat. Deor. III.et Lipsii physiolog. Stoic. I. diss. IX.

p) Vide dissert. ejus, quam supra laudavi.

catu, qua ratione Herculis exemplum efficaciam habere dici potuerit ad mores secundum disciplinam eorum componendos. At vero primum omnium ille celebratur, quod haud fucato Dei amore inflammatus, utpote quem patrem omnium crediderit, cuncta nobis largientem benignissimamque nostri curam perpetuo habentem, voluntati ejus per omnem suam vitam obtemperavit et hanc ob causam, quaecunque ejus jussu essent perpetranda, lubentissimo animo peregit. [q]) Eodem animo et Stoicorum familiam erga Deum esse oportebat. Nulla enim vita, nisi quae universam rationem sequeretur et ex hocce divino fonte pasta et innutrita ad optima quaeque contenderet, momenti alicujus putabatur. Imo vero vulgaris illa vox *ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν* quid aliud sibi voluit, nisi ut efficeret obnoxiam Deo voluntatem resecantemque omnes animi motus ad divinam legem cunctis sancitam? [r]) Naturam nostris idem valere ac Deum, non est, quod moneam. Innumeris scripta eorum scatent locis, qui huc faciunt. Cf. Senec. de benef. VII, 15. II, 29. epist. 76. et 107. Arrian. Epict. I, 12. 14. 20. 29. II, 7. 16. III, 24. Marc. Anton. commentarios XII, 31.

Deinde Hercules insigni homines promerendi studio ductus terrarum orbem pervagatus traditur, ut injuriam propulsaret, insolentiam compesceret, alienaque mala purgaret (*καθαίρων τὰ ἀλλότρια κακὰ*) contra justitiae sanctitatique sedem pararet firmis fulcris stabilitam. Neque enim uni angulo se natum putabat, sed totum hunc mundum patriam habebat. [s]) [t]) Verum ad Stoicos si respicimus, eadem praecipiunt mascula ipsorum sapientia initiando. Nam qui Stoicam doctrinam profitetur, non solum, ne ipse mali contagione inficiatur, cavere debet, sed etiam alios homines, quos, cum a natura ipsa nobis sint conciliati arctioribusque societatis vinculis conjuncti, mutuo amore

---

q) Vide supra apud Arrian. *ἀλλ' οὐδὲν φίλτερόν του θεοῦ ἐκείνῳ πειθ. — καὶ πρὸς ἐκεῖνον ἀφορῶν* etc.

r) Omnino verum est, quod consentienti voce dicunt, qui in perscrutanda atque exponenda diversitate inter Stoicos antiquiores et recentiores intercedente operam collocavere, hos saepissime ad Dei cultum adhortari officiorumque, quibus Deo obstricti sumus, commonere. Inde forsitan factum est, cur ii a Christianae doctrinae fontibus hortulos suos irrigasse dicerentur.

s) Vide supra *περιερχόμενος τ. οἰκυμ. καθαίρων ἀδικίαν κ. ἀνομίαν — ὕβριν καὶ* etc. t) Si Plutarchus (de Iside et Osirid. p. 158. ed. Hutten.) dicit *Στωϊκοὶ λέγουσι Ἡρακλέα εἶναι τὸ πληκτικὸν πνεῦμα καὶ διαιρετικὸν* insignis animi vis per omnia penetrans, res oppositas discriminans, impedimenta prosternens significari mihi videtur.

amplexandos docet Stoa, a malis defendat ac liberet necesse est: neque angustos bene faciendi suae proclivitati ponere potest fines, cum se mundanum ducat atque ideo auxilium suum ad universum hominum genus pertinere existimet. Cf. Senec. de benef. I, 14. de vita beata 20. de clem. II. 6. de tranq 3. epist. 51. 86. 89. 120. Marc. Anton. comment. III, 4. VII, 31. VI, 29. Arr. Epict. I, 9. II, 10. III, 22.

Tum vero Herculem, ut nullis in itinere suo detineretur lenociniis, proprium ipsius commodum extrinsecus affluens despexisse atque voluptatum fontem e vita amoena scaturientem sibi occlusisse oportuit. Idcirco non subit mirari, cur antiqui illum finxerint, relicto paterno solio, et liberorum amplexum lubenter hilareque fugientem et amicorum coronam sua sponte valere jubentem. [u]) [v]) Quod quantopere Stoic. disciplinae faveat, quid attinet pluribus verbis persequi? En habes ἀπαθείας animi perturbationum vacatione et externarum rerum contemtu efficiendae, quam censorio supercilio Stoici jactant, praeclarum quoddam et illustri loco positum exemplum. Cf. Senec. clem. II, 4. de vita beat. V, et IV, alias sexcent. Arrian. Epict. orat. III, 22.

Denique cum ab omnibus partibus virum fortissimum circumstreperet portentorum vasto suo adspectu minitantium turba, eique aut belluarum ferocia et atrocitas esset vincenda, aut hominum immanitas crudelitasque debellanda, intrepidus et supra metum elatus requirebatur animus. Quem quidem Herculi promptum et paratum fuisse summis laudibus nostri agnoscunt. [x]) Quaeris, quorsum hoc in Stoica disciplina spectet? Scilicet ἀνδρείᾳ et ἀταραξίᾳ suffragatur fabula in subeundis vitae periculis probandae. Nam pugnae alicui nostri philosophi comparant vitam, qua modo cum fortuna sit conflictandum, modo praejudicatis pravisque aequalium opinionibus occurrendum, modo vehementioribus animi motibus resistendum aliisque hostibus obviam eundum. Quam ob causam nos esse sanctiore Deo obligatos dicunt sacramento, quam milites imperatori, neque quemquam loco suo cedere fas esse, si vel vitae jactura sit facienda. Praecipue vero Epictetus imaginem a militia sumtam pulcherrimis, ut est viri haud uno nomine laudandi fes-

---

[u]) Vide supra καίτοι πόσους φίλους — καὶ τοὺς παῖδας ἐπέλιπ, etc. [v]) Epictetus, opinor, non sine causa Herculem multis ubique amicitiis floruisse addidit. Decantatum enim est illud μόνος ὁ σόφος φίλος. Cf. Senec. ep. 9. 31. 109.

[x]) Vide supra ὁ Ἡρακλῆς λέγων, πῶς μοι, μη etc.

tivum ingenium, suavissimisque coloribus depingit. Tot igitur periculis circumventi nulla habemus, Stoicorum judicio auxilia et praesidia, nisi in animi constantia et tranquillitate terroris simulacra spernente. Cf. Senec. de provid. II, et IV, de vita beat. VIII. epist. 20. 31. 51. 59. 65. 76. Arrian. Epict. orat. III, sub. finem. ibid I, 29. I, 14.

Postremo strenue faciendo et virtutis viam fortiter sectando hanc reportavit palmam, ut liber et securus ubique viveret eaque perfrueretur felicitate, qui est libertatis fructus honestissimus. Licet enim molestis continuisque laboribus exerceretur multisque peteretur insidiis, nunquam tamen fortunae suae manus dedit, sed de adversariis clarissimos egit triumphos atque, ut Stoici praedicant, et maris et terrae nactus est imperium illacessitum. Quapropter tantum abfuit, ut cum sorte sua stomacharetur, inde ut perciperet verissimum gaudium amplissimaque virtutis praemia r). Quae narratio quantam vim exseruerit in Stoam, primo quidem obtuitu liquet. Namque si Stoici pro rigore atque austeritate philosophiae suae neque corpori neque sensibus homini innatis, neque rebus extra nos positis aliquid dandum esse decernunt, id sequuntur consilium, ut animus nullis vinculis irretitus sui juris esse possit. In hac enim animi libertate, quae, donec ille sensuum blandimentis sopitus alienae ditionis arbitrio distrahitur, contingere potest nemini, omnem vitae felicitatem positam esse contenderunt. Quo fit, ut Sapiens eorum, cum ei uni suppetat summa perfectio, et liber et vere beatus nuncupetur. Cf. Senec. de vita beat. V. ep. 31. 55. 59. 109. 120. Arr. Epict. III, 24. ibid II, 10. II, 1. et I, 18.

Ex hac quidem disquisitione apparet, Herculem Stoicis pietate in Deum, benevolentia erga homines, proprii commodi despicientia voluptatisque contemtu, animo intrepido, constanti, libero atque sorte sua contento commendatum esse.

Brevius forsitan rem absolvere potuissem, si quae de Hercule apud Stoicos leguntur, ad quadripartitam virtutis distributionem prioribus Stoicis usitatam retulissem. z) Sed ut taceam, nimis argutam inire fabulas commenticias explicandi rationem eos, qui omnia ad incitas quasi redigere cupiant, in libris

r) Vide supra ἀλλ᾽ ὁ μὴν Ἡρακλῆς ὑπὸ Εὐρυσθέως — καὶ πανταχοῦ ἐξῆν αὐτῷ διαγ. εὐδαιμόνως — ὧδε ἐπετάσσ. etc.

z) Ad prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam. Vide E. Jul. Maurit. Werneri dissertationem de Senecae philosoph. p. 118.

Stoicorum recentiorum, qui, ut loci supra allegati testificantur, prae ceteris Herculis mentionem faciunt, nusquam hunc modum in describenda virtute servari reperio. Quod mecum reputans equidem satius habui, narrationis filum persequi et, ut quaeque ad hanc alteramve doctrinam accommodari posse viderentur, monere, quam in indaganda ratione, qua Herculis laudes cum primariis Stoicorum virtutibus concordent, supervacaneam operam deperdere.

Ceterum non est silentio praetereundum, quommodo vel obitus herois nostri comparationem aliquam admiserit cum extrema rerum resolutione ex Stoicorum sententia eventura. Herculis ἀποθέωσιν, cum ea vel pueris ex Ovidio nota sit, non opus est, ut hic enarrem. At de isto Stoicorum placito pauca adjicere, a proposito nostro non alienum erit. Ut autem divinus quidam ignis, quo rerum causae et semina ab initio coercita fuerant, mundi artifex et conditor exstitit, utque ille vi sua vitali et ad omnia pertinente mundum continet et sustentat, ita aliquando, ubi ignea vis universa confecerit et absorpserit, cum, humore consumto, neque terra ali possit, neque remeet aer, cujus ortus, aqua omni exhausta, esse nequit, nihil praeter ignem relinquetur.[aa]) Haec est mundi illa conflagratio Stoicis cum Heraclito communis. Ex qua si, necessitate urgente, sequitur, et animas in divinum spiritum aliquando recessuras tamen juvat quaerere, quo statu Stoici eas versari putaverint ad illud tempus, quo mundum in ignem conversum iri vidimus, quodque Diogenes Stoicus post exactos trecentos sexaginta annos, quorum singuli octodecim milibus annorum vulgarium conficiuntur, futurum esse dixit.[bb]) Sed cum philosophiae Stoicae cardo in eo verteretur, ut homo jam in hac terra perfectus fieret, ita quidem, ut ad ejus dignitatem felicitatemque nihil deesset, ista quaestio non diu morari potuit Stoicos. Verisimile quidem est, eos de animi quadam migratione cogitasse, qua[cc]) is per varias ambages circumageretur, donec ipsi ad sumprema rerum principia redeundi facultas fieret; quin imo Sextus Empiricus hanc Stoicorum sententiam nobiscum communicavit, qua animas post mortem in excelsa quaedam loca evehi arbitrati sunt, quibus purissimo aethere perfusae et altae ultimas mundi vices expectarent. Contra alii, parum

---

[aa]) cf. Cic. de natur. Deor. II, 46. et Reinholds allgemeine Geschichte der Philosophie p. 437.

[bb]) cf. Werneri diss. de Senec. p. 76.

[cc]) cf. Senec. ep. 63. et 108.

illi quidem sibi constantes, illas penitus interire et evanescere docebant, alii permanere quidem animas statuebant, at solas Sapientum, cum reliquae terrenis sordibus obrutae perirent. [dd]) Recentiores Stoici, etsi in difficultatibus, quibus haec res laborabat, explodendis saepissime desudaverant, tamen nil certi ac rati habuerunt, quod sequerentur, modo ad Socraticorum et Platonicorum sententias super hac re prolatas sese applicantes, modo suorum placita, quibus assentiri ipsis sacrum fuit, resumentes atque adeo rem ambiguam relinquentes. Sed, ut redeam, unde exorsus sum, si igitur quidam Stoici Sapientum animas ad mundi exustionem perduraturas opinati sunt, Herculis morte igne obita percommode uti potuerunt, ut hoc opinionis commentum exemplo aliquo illustrarent.

Haec hactenus. Annuncianda enim sunt Scholarum nostrarum solemnia die VII. Sept. rite peragenda. Quibus ut Vos, Princeps Serenissime, Maecenates, gymnasii nostri praefecti, patroni, fautores, illustrissimi, perillustres, summe venerandi, honoratissimi, frequentes interesse ne dedignemini, omni, qua decet, reverentia et observantia quaesumus atque rogamus.

[dd]) Vide Conzii: Abhandlung für die Geschichte der spaet. stoisch. Philos. p. 111.
[ee]) Cf. Senec. ep. 93. et 57. de provid. V.